

ΕΠΙΚΡΟΤΗΜΑ AMICORUM,

dicatum

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS,

Quos

in florentissimâ Academia MARPURGO-MAURITIANA,

Rectore Magnifico, Viro Cl.

Dn. JOHANNES HARTMANN, PHIL. ET

Med. Doctore, & Chymiatricæ ibid. Professore

publico,

Spectabili Decano, Philosopho principe

DN. M. RODOLPHO GO-

CLENIO, PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ

Professore Ordinario,

Brabeutes, Philosophus excellentissimus

Dn. M. JOHANNES COMBACHIUS, PHYSI-

ces ibidem Professor Ordinarius,

Ex decreto unanimi Procerum Academicorum,

14. Julii Anno 1614. contulit

ABRAHAMO THEOPOLDO SERVESTANO

Anhaldino, inter XX. Candidatos, Secundum

adepto locum.

Marpurgi Cattorum

Ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri,

Anno M. DC. XIV.



Ex literis Clarissimi Dn. R. Goclenii, &c.

ad M. Johannem Theopoldum, &c.

SD. &c. Nuper ornatus est filius claritatis tuæ insigni-
bus Magisterii, & inter competitores 20. adeptus est
locum honestissimum Secundum. Merita est hunc
ejus eruditio & virtus. Nam in examine in omnibus &
singulis Philosophiæ partibus nobis satisfecit. In disputan-
do pulcherrimè stetit. Græcè magna cum auditorum ad-
miratione declamavit. Gratulor itaq; tuæ claritati de ta-
li filio, & oro Deum, ut det ei usuram viræ longam, quò Ec-
clesiæ diu ornamento esse possit. Ut deinceps se totum
Theologiæ dedat, ipsi autor sum. &c. Bene Vale. Cursim,
extremo Julio, Anni 1614.



VVOLFGANGI CRELLI

MAGISTER

in

MAGISTRUM.

S Alve rara soli Phoenix! Salveto MAGISTER
Lege Magisterii Devia semper avis!
Salve Naturæ Dæmon! Sophiaq; Sequester!
Vah quantum Ingenio, Numine, & Arte potes!
Dic mihi, quid sibi vult Nomen Geniale Magistri?
Dic mihi quid proprii Muneris esse putas?
Quid sibi Pileolus? quid tortilis Annulus, æqui
Arbiter? aut capiti texta Corolla, volunt?
Forſan, ut immiſſas rerum Moderatus habenas
More Magistratus, jure Magister erat?
Sic ſi Balenam tentet quis ducere tetram,
Ille MAGI flexa voce MAGISTER erit?
Non ita! Non iſto nobis discrimina Monſtrans
Noſtra Magistratus Laurea fonte venit.
Nec mihi Jura dabunt. Nunquã mihi Cura Magistrum, aut
Majeſtas, Genio, caſſa, creabit iners.
Sed quos Naturæ, quos Artis ductus, & Uſus
Moribus, ELOQUIO, COGNITIONE dedit.
Scilicet hoc doctis Mitra: atq; hoc Serta Diſertis
Moribus hoc fociis Annulus Artis erant.

A 2

Salve

Salve igitur Phoenix! Superum salve unica Phoenix!
Salve Mercurij rara propago tui!
Sola in te Tota est Ratio, Natura, Deusque:
Heu mihi quàm rari talia ligna sumus!
Foelicem tamen hunc, Cui contiget Esse **MAGISTRO**
Tali: aut cui Talem Nosse Minerva dedit.
Tali igitur Genio, tali Ingenioque dicatam
Ornes ut Spartam, Mi Theopolde vide!

A L I U D.

E Gregios animos honor excitat: inclyta Virtus
Nativum igniculum tenues protrudit in auras.
Artes nutrit bonos: tepidus calor inde pererrat
Mollibus haud stimulis magnorum corda virorum.
Hinc labor exoritur durus: vaga lumina pernox
Cura tenet: thalamumq; fugit: praeordia partes
In varias versat: vigili modo docta labore
Scripta legit: modo flammivomam notat aethere calso
Lampada cum sociis errantibus ordine flexo.
Nunc admiratur rutilantia sidera ferri
Turbine tam volucris, & celo colludere aperto,
Nec tamen in praeceps lapsu inclinare, stupefcit.
Nunc cecatas rerum causas rimatur, & intus
Multa animo volvit: versatq; cupidine multa.
Ergo, mi Theopolde, pio prognate parente
Te quoq; praequantem video virtutis amore,
In te cum cernam viridi collata cupresso
Premia virtutis quae docta Thalia ministrat.
Quid labor ingenuus: quid mens studiosa: quid etas
Florida: quidq; lares: nec non natura benigna,
Curag; nutricum: fortunatig; polorum
Adspectus praestent: te uno nunc cernimus omnes.
Improbis ecce labor quo te non duxerit ultrò!

Aspic

Adspice quàm tua te virtus innata, animusq;
Magnificè exornent! Dulcissima Graja rotundo
Ore dedit te Musa loqui: tibi Musa profundit
Carmina mellifluo Latij quæ comta cothurno.
In te iudicium crevit: Sapientia crevit
Ante diem mediam: hinc cingunt tua tempora Lauro
Pierides: Sophiæ hinc tu diceris esse propago.
Nequaquam metuas damnati Scommota Momi.
Ille sui similis maneat: turpemq; senectam
Infamis, desesq; trahat: Tu flore tenello
Excludas pingues maturo tempore fructus.
Hæc primordia sint: Post hæc majora canemus,
Adspirante Deo, & cursus moderante secundos.
Ne te pœniteat celsum scandisse cacumen,
In quo te feriant nimboſi flamina Cauri,
Cum non pulverulenta legas vestigia retrò.
Orni frangantur: frangatur fraxinus alta,
Et juga terribili fonitu concussa tremiscant.
Tu tamen incolumis palmæ sub fronde virebis,
Pondere quæ frangi nescit, neq; fulmine aduri.
Salve igitur, juvenum doctissime: perge secundo
Flamine, quò tua te virtus vocat, I pede fausto,
Te Deus incolumen servet: servetq; parenti
Egregium & prædulce decus, quò celsior astris
Ire queas, cum jam virtus succreverit annis.
Perge igitur, juvenum doctissime: perge secundo
Sidere, quò tua te virtus vocat, I pede fausto.

Præcipiti vena

In dulcem memoriam cantabat

Johannes Strackius Essendiensis Cliviacus.

A 3

ALI-

A L I U D.

ABRAHAMUS THEOPOLDUS SERVE-
stanus Anhaltinus, Philosophiæ ac bonarum
literarum Magister.

ἐ quo καὶ ἀναρ. omifs. asp.

Moribus en falsis satagit laudare camenam,
Plus valet arte boni, jure paratur honos - Sophum.

E V O L U T I O.

Est pulchrum pulchra laude exornare camenam,
Ast pulchrum magis est arte valere boni:
Pulchrius est longè conjungere moribus artem,
Queis fas est alis ire per ora sophum:
Hæc verò tandem si laus pulcherrima sola est,
De te, (nam dubito) quid, Theopolde putem?
Jure paratur honos: Sic ominor, omnia cerne,
Nominis atq; ipsum sic metagramma refert: (NAM:
MORIBUS EN SALSIS SATAGIT LAUDARE CAME-
PLUS VALET ARTE BONI; JURE PARATUR HONOS.
Jure SOPHUM tibi honos, tibi & aurea ferta feruntur,
Famam perge bonis sic stabilire tuam:
Atq; avibus confurge bonis, perq; aëra trana;
Et Musea novum sidera sidus adi,
Sic sic arte bonâ, sic moribus atque MAGISTER
Florebis; veniet sic quoq; major honos.

Ἐνοίας καὶ Φιλίας ἔνεκα

Petrus Evenus Navenâ Marchicus.

Multis arident creperi certamina Martis,
Arma cruenta quibus castrag, Sæva Deus.

Sunt

Sunt quibus & venter Deus est, & vitæ lagena,
 Ara gula, & mystes irrequiete coquo.
 Hincq; boves, & oves, & aves & vina coronant,
 Et gula quas noxas delitiosa capit.
 Sunt quos sacra fames sine fine fatigat habendi
 Auri, qui Nummum Numinis instar habent.
 Invenias etiam Centaurica monstra Cyclopes,
 Qui nihil inferna aut regna superna timent.
 Sed tibi mens melior, meliori in pectore votum
 Dignius, Aonidum gloria dalcis Abra:
 Te meliora juvant, te suscit at Entheus ardor
 Scandere Parnassi culmina celsa jugi.
 Et Sophie gustare epulas, secreta tueri
 Atq; Aganippeo fonte ledare sitim.
 Hic labor, hoc onus est: sed honos & fama perennis
 Hinc petitur: superans hoc onus hand ov est.
 Namq; tuum merito sublimis turba Sophorum
 Condecorat Sophie frondis honore caput.
 Ludentes ubi manè canunt, ubi vespere Musa,
 Purius atq; viget relligionis opus.
 Dignus honos onere hoc & premia digna labore:
 Hic cui sordet honos, atq; onus, iste ov est.

Φιλίας Ένεα Servestæ f. Fridericus Theodorus
 Gœrlie. Lufatus SS. Th. stud.



Sic ABRAHAME igitur tibi meta paranda parata est,
 Ascensu ut superes Parnassiculmina montis.
 Non ubi te movit series immensa laborum,
 Avia nec dumeta morata, nec invia saxa:

Suda-

*Sudatum quid nī satis? En victoria parata:
Sudatum satis est: ebodum latare, Corollam
Lania fert Daphnis, vigili sudore paratum
sume decus, longiq; moras solare laboris
Nimine non humili, Deus at tua capta secundet,
Majoresq; olim primis superaddat honores:
Sic precor ex animo: Salve Theopolde Magister.*

Congratulationis ergo &c.

Andr. Poplitzius Sanderslebio Anhalt,

ANAGRAMMA EJUSDEM.
ABRAHAMUS THEOPOLDUS.

Omiss. asp. άναγ.

Musa, Portabo Laudes:

ET meritò lauri tibi confert LANUS honores
Virtutis atque præmia.
Nominis hoc elementa tui conversa docebunt:
Sic nempe Musæ ais tuæ:
MUSA tuas tecum LAUDES PORTABO & honores,
Præsto mihi Laude est tua.
Euge tibi grator, lætare, tibi euge Camœna
Est laudibus præsto suis.

F I N I S.

Cl 1926

ULB Halle
001 556 118

3





Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeister
Merseburg a. S.

1717





27

AMICORUM,

PHIA HONORIBUS,

R PURGO MAURITIANA,

fico, Viro Cl.

TMANNO, PHIL. ET

niatriæ ibid. Professore

ico,

Philosopho principe

OLPHO GO

OPHIÆ PRACTICÆ

Ordinario,

obus excellentissimus

OMBACHIUS, PHYSI.

essor Ordinarius,

rocerum Academicorum,

1614. contulit

POLDO SERVESTANO

Candidatos, Secundum

locum,

gi Cattorum

lphi Hutvvelckeri,

DC. XIV.